

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. IX. De citatione; ejusque legitima exequutione, ac reproductione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

- Disputari etiam quandoque contigit, quando
37 commissione censatur renunciatum, quod regulam
certam non recipit cum ex facti circumstantiis
pendeat. *decis. 264. par. 8. rec.*
- In quibus vero causulis necessarium sit monito-
rium, colliguntur ex singulorum judiciorum fede, vel
38 tractatione, praeferim occasione agendi de judi-
ciis possessoriis, & executiviis, cum plerique isto-
rum, a monitorio initium habere debeant.
- In Sacro Consilio Neapolitano adhibetur idem
39 natus Rotæ Romanæ, quod scilicet cause non ini-
tiantur cum libello, ut in aliis illius Regni Tribunali-
bus, sed cum commissione, qua ibi supplicatio di-
citur, atque adhibetur illa eadem citatio, quam in
Curia dicimus contra commissiōnem, dum ibi dici-
tur contra supplicata, incidenter in relatione Curia
agendo de Tribunalis Rotæ. *disc. 32.*
- De reformationibus autem commissiōnium, sive
de novis cum praesertim, & de aliis ad materiam
40 commissiōnium causarum, habetur in singulorum ju-
diciorum discursibus, ac etiam agendo de Signatu-
ra, ejusque stylis, in relatione Curia agendo de utraq.
Signatura disc. 30. & 31.
-
- Decitatione, ejusque legitima exequi-
tione, ac reproductione.
- S V M M A R I V N.
- N**on sufficit monitorium, vel decreta citationis sine
exequitione, & reproductione.
- 2 Citatus à judice incompetente, an illum contempnere
posset, & non comparere.
- 3 Declaratur quomodo, & quando id procedat.
- 4 De citationis valida forma.
- 5 De citatione à superiori demandata constare debet
citando.
- 6 Citatio iudicis delegati debet continere delegationis
tenorem.
- 7 Debet continere terminum competentem, alias non
afficit.
- 8 Parva sunt nullam adesse citationem, vel eam non esse
benè exequitam.
- 9 Regulariter debet esse de persona.
- 10 Falsi ubi vigeat stylus faciendi domi, ubi ille stylus
vigeat.
- 11 De statutis demandantibus, ut etiam facta domi af-
ficiat.
- 12 An per statutum, vel per Principem tolli posset cita-
tio.
- 13 Contra latitantem, vel alias impedientem ne citetur,
citatio habetur pro benefacta.
- 14 Item, ubi non pateat turus accessus, fieri potest per
editum, & quomodo id talia causa practicetur, & de
materia citationis per editum.
- 15 Quando dicatur non tutus accessus.
- 16 Quando imparitio brachii superioris localis sit ne-
cessaria.
- 17 An & quando citatio fieri posset in alieno territo-
rio.
- 18 Beneficiatus quando citari posset in loco beneficii.
- 19 Et an feudatarius in fendo.
- 20 Cum procuratore generali in Curia institui potest
judicium in Curia sine citatione Generalis.
- 21 Malum consilium est depurare procuratorem gene-
ralem.
- 22 Item pro debito contractio in Urbe sufficit citatio per
diligentias.
- 23 De citatione per contradictas mortuo, vel absente
procuratore.
- 24 In facto notorio, an & quando requiratur cita-
tio.
- 25 De eadem materia notorii.
- 26 Confessus coram judge non est citandus.
- 27 Quid obligato penes acta Curie.
- 28 Declaratur conclusio, de qua num. 27.
- 29 An intrusus vel alter, cui certum sit nullus conpe-
tere defensiones, debeat citari.
- 30 Non requiritur citatio adversus impudentem de
facto, ubi censure adhibeantur per viam defensio-
nis.
- 31 Non requiritur citatio in iudicio suspicionis fugae.
- 32 De aliis casibus in quibus non requiratur citatio re-
misivae.
- 33 Citandus est ille qui habeat principale, & immediatum
interesse.
- 34 Defensor necessarius non est citandus.
- 35 Sufficit agere judicium cum gravato, absque neces-
itate citandi fideicommissarium.
- 36 Ubi sunt plures principales interessati, omnes sunt
citandi, & an omisso citationis unius, causet nullitatem etiam quoad citatos.
- 37 In causa spectante ad Ecclesiam, vel eius statum,
qui sunt citandi.
- 38 De citatione Capituli, vel Monasterii.
- 39 & 40 Licilum est citare unum pro alio, vel in cer-
to loco ex conventione.
- 41 Quid de citatione Communis, vel universitatis.
- 42 Per quos facienda sit citatio, & de eius relatione.
- 43 Per ipsum Iudicem fieri potest citatio.
- 44 An citatio fieri possit in Ecclesia.
- 45 Quid de citatione que nullum continet terminum.
- 46 Comparatio supplet omnem defectum citationis.
- 47 Negativa citationis quomodo probetur.
- 48 Quomodo citatio circumducatur.
- 49 An defectus citationis allegetur à tertio.
- 50 Quid de citatione, que nullum continet diem.
- 51 De citatione ad sententiam.
- 52 An posset fieri die feriata.
- 53 An debeat continere peremptorium.
- 54 An unica citatio sufficiat pro tota causa.
- 55 De circumductione citationis.
- 56 Facta ex errore contra unum, an afficiat alterum.
- 57 Quid de facta contra illum, qui duplum personam
gerat.

D I S C . X I .

Cum pro litis, vel judicij introductione, ut in
precedenti discursu advertitur, libellus, vel com-
missio, seu monitorium, cum decreta Partis
citatione non sufficiat, nisi ejusdem citationis legiti-
ma accedit exequitio, cum eius reproductione,
qua mediante, Judge de sua jurisdictione certus
reddatur, ideoque citatum non comparcentem, con-
tumacem reputare valeat, atque contra cum
servatis de jure servandis, ad condemnationem,
ejusque exequitionem procedat, Idcirco de hac
citationis materia, pro judiciorum, seu processuum
validitate, frequenter agi contingit; Eaque tripli-
cem habet inspectionem; Praesupposito tamen primario, ac essentiiali requisito jurisdictionis, & com-
petentiae, sine quo, reliquorum inanis expressio
est, quoniā posito defectu jurisdictionis, &
competentiae, citatus recte contempnere potest
citantem, a quo contumax reputari non potest,
cum quoad eum loco privati habeatur; Quoties
tamen incompetencia omnimoda sit, adeo ut, actu,
& habitu deficiat; Secūs autem ubi adsit quidem
habi-

habitualis, sed actualis declinari valeat ratione maioris competentiae alterius judicis, vel fori, cui causa remittenda sit, ut superius advertitur agendo de iudice incompetente, vel recusabili, *sopra. disc. 3.*

Plures igitur defuper cadunt inspectioe, ut adversus legitimè citatum ad alios actus contumaciales, non comparente, procedi valeat; Primum nempè super ipsius decretorum, vel demandatarum citationis valida forma, ut per eam citatus agnoscat, se ab illa affici, & arctari ad comparendum, quodque alias agnoscat, vel agnoscere debeat se contumaceum reputari posse.

Istaque prima inspectio in plures alias subdividetur; Primum nempè circa legitimam probationem de facto, id est iuxta illius Judicis, vel Tribunalis stylum, authentica sit, atque expedita iuxta formam confuetam, adhuc ut citatus agnoscat, quod revera à suo Judice evocetur, ideoque requiritur ut super originali mandato fiat ei denuncatio, eius copia authentica relicta; Quamvis in hoc stylo deferendum sit, *praxis est diversa*; ideoque id non recipit certam regulam.

Secundò ubi non de ordinario Judice agatur, vel notorio delegato ad universitatem causarum, qui Ordinarii jure censetur, sed de delegato speciali ut citatio contineat delegationis notitiam cum eius infectione, ut ita citatus sciat eum esse judicem, que seclusa delegatione rectè scit non esse talem, quodque propter illi parere non tenetur, ut patriter supra agendo de Judice advertitur, *eod. disc. 3. supra.*

Et tertio ut citatio congrua sit, atque talis, cui citatus parere valeat; Et præsertim, pro frequentiori contingentia, ut competentem terminum contineat, intra quem, comparatio sit possibilis, alias etenim si terminū incompetentē contineat utilis res manet, atq; nō afficit, quāvis Judex, non nisi elapsō termino competente, ad judiciales aetas procedat; Ut putā, de mandato Auditoris Cameræ, vel Rotæ, citatur aliquis in partibus, ita remotis, ut, juxta legalem itineris computationem requirantur decem dies; Si citatio contineat terminum breviores, putā ad comparendum quinta, vel sexta die &c. tunc illa non afficit, quamvis nonnulli post decimam, ad actus contumaciales procedatur, quoniam ut citatio afficiat, terminum competentem continere debet, atque alias licet spem potest; Si yebi sit pro eadem die; Nisi pro causa qualitate fiat ad hodie personaliter, Clem. 1. de judic. cum concord. late dedit per Vestr. & adden. lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. fin. Mantic. dec. dec. 8. 199. n. 11. p. 5. rec. & dec. 233. n. 10. par. 7.

Altera est principalis inspectio, super eiusdem citationis legitima exequutione, cum paria sint, citationem nullatenet adesse, vel male exequutam esse, ob participationem inter nullum, & nihil, idque nullam recipit dubitationem, quoties (*ut infra*) comparatio non sanet defectum.

Modus autem citandi, regulariter, cessante legitimo stylo particulari, est, ut personaliter fiat, neque sufficiat fieri domi habitationis, vel penes domesticos, sive per edictum, aut per proclama, quoniam ad inducendam contumaciam, necessaria est scientia, vera, & certa, que sine citatione personali non verificatur ob contrariam possibilitatem, vel alias facta ad eius notitiam non devenerit, ideoque regulariter citatio personalis esse debet, neque alias afficit, Rovit. pragm. 2. de citat. add. ad Vestr. lib. 5. cap. 13. cum aliis quibus infra in limitationibus, dum regula supponitur certa.

Card. de Luca de iudiciis & judicialibus

Plures tamen limitationes ista regula patitur, de quibus infra, in singulorum judiciorum progressu, ac sedibus, *infra in discursibus particularibus singulorum judiciorum*, & in relatione Curie agendo de singulis Tribunalibus, *eorumque stylis*. Et præteritum primo, ubi illius Tribunalis stylus sit in contrarium, quod eiatio facta domi solite habitationis, vel relata penes domesticos sufficiat, ut in Curia præsertim docet stylus Auditoris Cameræ, ac etiam quorundam aliorum Tribunalium, ut in eorum singulis rubricis in relatione Curie, advertitur, *ibid. & de citatione facta domi, Rovit. & add ad Vestr. ubi supra decis. 130. par. 7. ree. n. 27. & seqq. Buratt. decis. 186. n. 11. & in locis supra citat.*

Secundò, ubi vel ex Statuto, vel ex alia lege municipali, cautum sit, ut citatio domi habitationis, vel penes domesticos, sufficiat, ac habeatur, perinde ac si personaliter facta esset, ut in aliquibus locis præcis docet hujusmodi legum existentiam, earumque validitas firmata est, eodem modo, quo ex supra insinuato stylo receptum habemus, cum eadem sit utriusque casus ratio, *apud Orthobon. decis. 269. & apud Cels. decis. 152.*

Quamvis etenim magna inter DD. questio sit, an legi positivæ animata, vel inanimata, facultas competat tollendi citationem, qua juris divini, & naturæ reputatur, ex eo id desumendo, quod ipsem Deus cum Adam primo parente post contraventionem praæcepit in terrestri Paradiſo practicavit, deindeque cum Caim fraticida, multaque hinc inde deducantur argumenta; Ea tamen academicis relinquentur; Quatenus pertinet ad forensem proximam, illa est probabilis, receptaque distinctio, inter substantiam, & modum, ut prima pars de jure divino, vel naturali reputetur, ideoque tolli non possit; Secus autem quoad secunda, circa solemnitatem, vel modum, ut potè juris positivi, quod ita inducit probationem, vel presumptionem scientiæ, cuius finis est citatio Buratt. 118. Capyc. Latr. decis. 188. num. 34. & seqq. apud quos concordantes.

Tertia limitatio est, ubi ipse citandus, affectate latitatem, seu alias impedimentum præstet, quominus citatio contra eum exequutioni demandetur, ex recepta regula, quod impediens citari, habetur pro citato; Intrat etenim eadē ratio scientiæ, pro cuius fine citatio adinventa & desiderata est, dū ita affectando latitationem, vel impedimenta, scire ostendit se citari debere, seu citationem contra eum decretam effe, Ridolph. in praxi par. 1. cap. 3. n. 11. & cap. 14. n. 242. Burat. decis. 416. & 519. Cels. decis. 130. & 177.

Quarto in idem, ubi citandus sit in loco, ad quem non patet tutus accessus illius ministri, qui ex sola auctoritate citantis, citationem exequi debeat; Idque hodiè, agendo de citationibus decretis à Tribunalibus Romanæ Curie, videtur in praxi penè generale in omnibus principatibus, vel ditionibus, extra illam temporalem Ecclesiæ, ubi agatur de causis prophanis contra laicos, seu quod alias, per Principes, & Magistratus seculares de eis prætendatur privativa competentiæ seu Romanæ Curie incompetentiæ, quod denegatur facultas exequendi citationem, unde propterea notoria sunt impedimenta, que præstari solet, absque probabili spe, ut de facili dilui possint, quoniam tunc sufficiat citatio in locis magis adjacentibus per edicta; Talisque est frequens praxis, quod scilicet ubi agatur de talibus locis, ad qua per terrestre iter, de necessitate, vel pro frequentiori usu accessus habeatur, citationes fiunt in locis confinium Status Ecclæstici, versus illam regionem

DE IUDICIIS

30

seu ditionem; Ubi verò iter sit maritimum, sit in locis magis frequentatis maritimis, nempe in portu centum cellarum, seu Civitatis verula; Quoniam non dato tuto accessu, locus est citatione per edictum, de ista citatione per edictum, & quando erit locus Rovit, super pragm in rubr. de citat. Buratt. & add. decis. 943. decis. 70. & 306. par. 7. rec.

Secùs autem ubi adsit solum quoddam impedimentum conuentus, quod de facili removeri potest, ac solet; Ut putà pro frequentiori praxi, Magistratus seculares brachium imparitri volunt citationibus, aliisque expeditionibus, Romana Curia exequendis cum clericis & ecclesiasticis, vel etiam cum laicis, in causis meris ecclesiasticis, & spiritualibus, in quibus nulla competentia quaestio cadat, id desiderando ad solum effectum notitiae, & ne sequatur aitus propria jurisdictioni prejudicialis, de hoc Rovit super pragm. 4. & 5. de citation. & de ista exequitoriatione agitur sub tit. de feud. decis. 106. & lib. 14 in Miscellan. Eccl. decis. 22. quoniam cum istud sit impedimentum, quod de facili, & cum modica diligentia removeri potest, idcirco aditum non praberet dicta praxi citationis per edictum, quoniam etiam ipsius locorum Ordinarii, aliquique ecclesiastici Praelati, & Magistratus; Præfertim vero (& quidem tenaciter) Cardinales Legati ipsiusmet Status ecclesiastici, hanc scientiam desiderant, atque istud brachium, seu assensum imparitri volunt.

Licet enim iuxta distinctionem alibi deductam in ordine ad iustius licentia, seu brachii imparitionem, inter ipsos met ecclesiasticos Praelatos, vel Magistratus, distinctio sit, inter citations, qua decernuntur per Judices Romana Curia, aliosque delegatos Apostolicos nomine Papæ, id decernentes, & illas qua decernuntur per Ordinarios locorum, seu alios officiales habentes restringam jurisdictionem intra proprios fines; Ex ea differentia ratione, quod isti dicuntur exercere actionem jurisdictionalem in territorio alieno, quod non congruit Papæ, qui est Episcopus Ecclesie universalis, ideoque universum Mundum habet praedicationis & consequenter non dicitur exercere jurisdictionem in alieno territorio, tit. Miscellan. Ecclesiast. lib. 14. dicto decis. 22.

Quinimò etiam respectu Ordinariorum, aliorumque Praelatorum, & Magistratum, altera subtilis distinctio, particulariter alibia acta, inter citations verbales, & reales, ut prima in proprio territorio decreta, contra proprios subditos, vel alios, cum quibus competitia habeatur, exequi possint absque licentia vel consensu Ordinarii loci, atque ita exequuntur affiant; Adhuc tamen, pro communi frequentiori usu, ex ratione saltem conuenienter, vel prudentia, ad jurgia vel scandala tollenda, iustius brachii imparitio peti solet; Sed quia non solet denegari, idcirco sequitur, ut reputandum non veniat sufficiens impedimentum, ob quod ad citationem per edictum deveniri valeat, dicto decis. 22. Miscellan. Eccl. & de juridict. decis. 20.

Quinta est limitatio, ubi non constituto in superiori citante scientia loci, in quo citandus existat, atque commodè citari valeat, agatur de causis concernentibus rem, apud quam ipse citandus esse debet; Ut putà, exemplificando pro frequentiori contingente in spiritualibus sequi solet in beneficiario, super processu contra eum habendo pro condemnatione ad penas ob non residentiam, quoniam citari potest per edictum in loco beneficij, cum distinctionibus in beneficiari materia recensi-

tis inter beneficia curata, & non curata; Sive inter processum iuxta formam Sacrorum Canonum, vel iuxta illam Sacri Concilii Tridentini; Vel quodammodo in concernentibus ipsum beneficium, eiusque administrationem demandandum sit, cum similibus tit. de benef. decis. 77. & in supplemento eod. tit. in Vestana Canonicius.

Sive in prophanis, quod agatur contra feudarium in causis concernentibus feudum, quoniam sufficit illum citari in loco feudi per edictum, & per proclama in locis publicis, sive in palatio solita residentia Baronis, & Feudatarii, aut penes domesticos, vel ministros, iuxta diversos stylos, vel praetextum, cum similibus, quibus eadem respectivè ratiocngruat, sub tit. de feud. decis. 33.

Sexta limitatio est in Curia Romana, ex eius particulari stylo, ubi citandus in ea procuratorem generalem habeat, quoniam quamvis aliarum causarum, vel negotiorum occasione sit deputatus, adhuc tamen cum eo novum, ac diversum judicium inchoari, & prosequi potest; Ideoque imprudens confilium est, ut illi qui evocati ad Curiam occasione aliquius causa particularis, pro eius defensione, procuratorem deputare coguntur, deputationem generalē faciant, nulla exigente necessitate, cuī sufficiat deputatio pro illa causa particulari, unde propterea in deputationibus generalibus adhiberi solet cautela, illas refringendi ad causas activas tantum, non autem ad passivas.

Septima est limitatio, pariter de stylo Curia, ubi procurator iam deputatus in causa, decessat, vel se absentet, quoniam non per hoc collitigans tenetur perquirere collitigantem in partibus, eumque denudo citare, sed recte procedi potest ad compilationem processus, vel iudicij contumacialis, quod in Curia dicitur per contradicas, sibique imputet ille, qui de morte, vel de absentia procuratoris deputati sollicitus esse non curaverit, infra decis. seq. De alia vero citatione per contradicas contra contumacem habetur infra in discurso judicij contumacialis, cod. decis. seq.

Octavò ex eodem Curia stylo, quando agatur de debito contracto in Urbe, ubi etiam promissa sit solutio, quod absque promissione, de jure inest, quoties contrarium conventum non sit, quoniam si debitor se absenter, non tenetur creditor illum perquirere in partibus, sed sufficere citare per diligencias in eadem Urbe per Cursores adhibendas, atque ita judicium contumaciale recte perfici potest, dicto decis. seq.

Non ubi agatur de re, que utramque facti, & juris certam habeat notorietatem; Quod tamen in civilibus raro ad proxim deducitur, solumque practicari solet aliquando in declaratione censurarum ipso jure inflictarum, puta ob percussionem clerici seu ob violationem ecclesiastica immunitatis, cum similibus, quoniam si accedit certa, & incontrovertibilis notorietas facti, quod nullam habeat excusationem, cum notoria sit dispositio juris, idcirco absque necessitate prævit citationis, ad declaracionem procedi potest. Marant in prax. par. 6. memb. 1. add. ad Vestra lib. 6. cap. 2. nu. 30. add. ad Buratt. decis. 166. apud Bich. decis. 5. 89.

Ac etiam in aliquibus partibus, praesertim vero in Tribunalibus, & Curia Regni Neopolitanis practicari quandoque solent condemnations ad peinas personales, vel pecuniarias de facto nulla prævia citatione, aliove processu, ratione notorietatis, quia nempe coram Judice in publica audiencia aliquis convicetur, seu alias, verbis, vel factis offens.

offendat eumdem judicem, vel alium Curiae officialem sive colligantem, unde propter ea illi practici Criminalistae super hoc notorio judicio se nimis diffundunt. *Foller in prax. crim.*, verbo item quod est notorius delinquens.

Decimus ubi agatur de confessio coram Judge in calore & figura judicii, ex regula, quod in confessum nulla sunt judicis partes in condemnando, sed solum in execundo, *add. ad Vestr. lib. 5. cap. 16. num. 9. Post. de manutenen. obser. 19. ex num. 17.*

Hinc autem in ejusdem Neapolitani Regni Tribunalibus & Curia laicibus, quidam usus inolevit, relaxandi mandata exequitativa seu literas exequitoriales de facto, nulla pra via citatione, pro obligationibus penes acta Curiae, ex ea ratione, quod ita agi dicatur de debito confessio coram Judge. Idque ad instar seu per imitationem practicari confundit etiam in Curia Episcopalis aliisque Ecclesiasticis. Verum per Curiam Romanam, perpetuo id improbatum fuit, ideoque hujusmodi exequitiones, cum omnibus inde sequitis, semper retractate fuerunt, ac retractantur, tanquam notoriis nullis, ex omnium magis substantiali nullitate resultante a defectu citationis; Et meritò quidem quoniam, ut alibi quoque advertitur, dicta conclusio, quod in confessum Judicis partes non sunt in condemnando, sed in execundo, vera est de jure, sed clara fallacia est in applicatione, cum procedat in ea confessione vere judiciali, quae scilicet coram Judge pro Tribunalis sedente, vel agente in forma, & figura judicii contentiosi fiat de debito jam maturato nulla exceptione elidibili, secus autem in hac specie confessions; Tu quia est potius in forma judicij voluntarii & pacifici; Tu etiam quia ex recepto stylo, hujusmodi obligationes recipiuntur per Notarium seu Aetuarium ex quadam tacita subintellencia generali Judicis delegatione, ideoque in substantia est instrumentum rogatum per Notarium actitantem; Ac etiam clarissimum non est confessio de debito puro & maturato, cuius tunc illicet debitus sit implementum, sed de confessione debiti, cuius solutio intra certum convenientem tempus promissa sit, ideoque debitor omnino citari debet, quia in continentia solutione vel alio implemento docere poterit, *sub tit. de credito disc. 116. & infra in disc. in quo agitur de judicio executivo.*

Quinimo etiam ubi agatur de dicta alia specie confessionis facta coram ipso Judge pro Tribunalis sedente in forma seu calore judicii contentiosi, ubi confessio fieret non pura, sed qualificata, puta quia debitor consenseretur debitu, cum certa qualitate dilationis vel implementi conditionis, tunc utique non poterit relaxari mandatum exequitativum de facto pro debito, cuius solutionis dies adhuc non cesserit, & quando cesserit, omnino requirita videtur citatio, eo quia potuit iam sequitur esse satisfactio, ac propter omnino irrationaliter videtur, ut quis de facto possit carcerari, vel exequitionem in bonis pati cum gravi iniuria vel molestia pro debito jam soluto, *ibidem.*

Undecima est limitatio, ubi certum sit, quod nulla competant defensiones vel exceptiones, ista que limitatio fraternizat cum altera notorietatis superioris insinuata, raraqua proinde in civilibus est eius praxis, atque solum de illa agi solet, prasertim in beneficialibus, ubi agatur de intruso, de quo disputationatur, an sit citandus; Idque ad instar trahi solet ad spoliatori em de facto; verum ad hunc effectum exigitur intrusio omnino certa, & notoria cum ultraque notorietate facti & juris, alias etenim regula est, ut quicumque possessor quamvis pratenda-

tur intrusus vel injustus spoliator, sive ut nostri dicunt fur, vel praedo citari debeat, *supra lit. X. & de intruso lib. 12. tit. de Benef. disci, 55 & 23. num. 26.*

Dicima est limitatio, ubi agatur de illis actibus qui per Judicem, & Superiorum fiant, adhibendo arma judicii vel jurisdictionis, potius per quandam speciem defensionis de facto ita vim vi repellendo; Ut puta juxta casum frequenter contingibilem, quod Episcopus, vel alter Prelatus, aut superior Ecclesiasticus, nulla prævia citatione, nulloque ordine judicario servato procedat ad censuras contra usurpatores bonorum, & jurium Ecclesiastico rum, vel turbatores de facto tanquam per speciem defensionis ita cum ipsis armis vim vi repellendo, quando alias consuli, seu occurri non possit adeo ut verificetur defensionis requisitum quod ita sequatur abf que discrimine inculpatæ tutela tit. de iuri dicit. disc. 47. & 48.

Decima tercia est omnium forte frequenter limitatio in judicio suspicioris fugæ, quod cum particularem habet inspectionem inferius, idcirco ad ibi deducenda relatio haberi debet, *infra in discursu particulari super hoc judicio.*

De pierisque autem aliis casibus in quibus, pro Tribunalium vel regionum usibus, ac stylis, vel etiam legibus scriptis, citatio omitti potest, vel alias circa eam juris communis dispositio alterata sit, aequaliter diversorum Principatum seu Tribunalium practicæ, ac etiam agendo infra de singulis judiciis vel remedii insinuatur, & præsertim agendo de concessione familiae, habenti facultatem capiendi propria auctoritate, quod sub associacionis nomine seu vocabulo, in Curia explicatur. *infra in particulari discursu super associatione.*

Præsupponit autem, ut cessantibus casibus limitatis ut supradictum in casu regulæ generalis, super necessitate citationis, plures desuper intrant inspectiones; Primo nempe super personis, quæ citandas sunt, adeo ut omissione citationis vitiet processum, vel aliud negligenti preiudicium cauet.

In hoc autem regula est, ut sufficiat citare illum, quem principaliter causa tangit, & qui est directus ac immediatus defensor, nulla vero suppetit necessitas citandi eos, qui habeant interesse, vel patientur preiudicium accessoriuum, & consequitivum, *tit. de iuri d. disc. 2. 18. & 2. apud Cavaler. dec. 328. Burat. & add. dec. 371. & sapius,* Ita que regula firma existente, questiones cadunt super applicationem, an scilicet & quando interesse dicatur connexum, & coxuale, seu aquæ principale, & quando accessoriuum vel consequitivum; puta (agendo de prophanis) principalis qui citari debet, est rei controversie possessor, ejus autem auctor vel defensor necessarius, qui possessorum in casu evictionis relevare debet, (unde propter ea spectato effectu contra ipsum causa tendat,) non est citandus, *ead. tit. de iuri dicit. disc. 63.*

Ita pariter judicium agere sufficit cum herede gravato, vel cum possessorum fidicommissis seu majoribus, nulla vero suppetit necessitas citandi substitutis & successivè vocatos cum similibus, *Molin. de primogen. lib. 4. cap. 8. Giurb. dec. 1. Royt. dec. 1. Put. dec. 19. lib. 3. ubi quod de stilo Curiae, debet etiam adesse citatio per edictum contra sua putantes interesse Fusar. quest. 622. Gregor. & add. dec. 205.*

Si vero sint plures ejusdemrei, vel ejusdem hereditatis directi possessores, omnes citandi sunt, quoniam omnes causa principaliter tangit, omnesque sociatiivo jure unicam personam intellectu-

lem repräsentant; Istoque casu intrat quaestio, an omissionis citationis unius vel plurium cohaerendum seu principialium intercessororum, vitiet judicium seu processum in totum, etiam respectu eorum, qui citati fuerunt vel potius intactum remaneat præjudicium non citatorum, ut ab eo judicio vel processu non afficiantur; Et licet aliqua dignoscatur (pro generali stylo) opinionum varietas; Verius tamen, magisque receptum videtur, ut decisio pendaat à natura judicij vel interesse, an scilicet sit omnino connexum & individuum, vel è converso dividuum, ut primo casu omissionis citationis unius, vitiet processum in totum, etiam respectu citatorum, In altero autem secus, sed non afficit non citatos.

Ut puta C exemplificando non spiritualibus, ubi ex gr. agatur de causa jurisdictionali, vel preeminentiali super statu Metropolitico, vel Cathedratico, vel alia jurisdictione activa, sive exemptione passiva alicuius Ecclesie, sufficit citare Praefatum & Capitulum, à quibus coequali jure illa Ecclesia constituitur vel efformatur, ideoque eadem & aquae principalis est defensio, adeo ut omissionis citationis unius vitiet processum in totum, dum agitur de jure conexo, & individuo, sed non est opus citare clerus & populum, quamvis & ipsi intercessari sint ob commoda & prementias vel respectivè præjudicia, que ipsis ex eo judicio resulant, quoniam ad eos non pertinet defensio, eorumque jus vel interesse est solum accessorium vel consequutivum, dico it. de jurisdict. dist. 2. 18. & 22.

Ita pariter ubi agatur de causa alicuius monasterii, vel Conventus regularis, non sufficit citare Abbatem, vel Priorum, sed citatio facienda est totius Conventus, vel Capituli conventualis Gregor. & add. decif. 584. Manit. decif. 309. Cavaler. decif. 435. decif. 181. par. 10. rec. sed non est opus citare Prelatos generales Religionis, sive è converso Prelatos, vel administratores granciarum, & membrorum Monasterii, quoniam eorum jus, vel interesse respectivè est accessorium, vel consequutivum, illudque operatur ut dici valent interessati ad effectum, ut volentes admitti ad causam, atque assister ejus defensioni, non possint repellere, cum ad hunc effectum sufficiat interesse quale quale etiam remotum seu mediatum, vel accessorium, non auctem, ut pro validitate judicij citari debeant, ibidem.

Altera inspectio est super modo citandi, ut scilicet quando agitur de personis singularibus, exceptis causibus limitatis, de quibus supra, regulariter citatio debet esse personalis, supra num. 9. Atque ultra limitationes superioris recentitas, alia quoque resulant, ex ipsarum Partium conventione, ob quam firmari solet, ut licet citare in quadam domo, seu alio loco, quamvis citandus ibi non moretur, ut in plerisque partibus in usu est, & praesertim frequentius in Civitate Neapolis, quod in contrahentibus statu solet locus, in quo unus ex contrahentibus pro adimplemento citari potest, deputando frequentius domum seu mansionem Notarii rogati, que ibi Curia dicitur, Rovit. super pragm. in rubr. de liquid. instrum. n. 47. decif. 302. n. 7. 40. par. 8. rec. Sive convenienter quod una persona pro alia citetur, ut quandoque ratione legalis administrationis de jure fieri potest, puta citando patrem legitimum administratorem in causa filii, seu virum in causa uxoris cum similibus. Cavaler. decif. 353. Rota decif. 112. par. 10. rec.

Ubique vero agatur de citatione alicujus universitatis, vel corporis polycopi, puta Communis, vel Populi, sive Capituli, Monasterii, non sufficit citare singulos, etiamsi citatio est in eorum personis, sed citari debet ipsum corpus collegialiter, seu capitulariter congregatum; Cumque hec species citationis non sit de faciliter practicabilis, unde propterea, posset ita altera Pars eludi, atque judicium impediti; Hinc proinde interessatus citare debet Praefatum, vel alium ad quem de jure, vel de consuetudine pertinet convocare Capitulum, vel Populum seu Consilium Civilitatis, in minus in contumaciam liceat ad ulteriora procedere. Rovit. pragm. 2. de citat. add. ad Vestr. lib. 4. cap. 3. num. 12. Seraphin. decif. 1406. Cavaler. decif. 408. & 410.

Exequitio autem citationis fieri solet frequentius per cursorum, vel nuncios, seu bajulos, ad id in officio deputatos, super quibus questiones cadere solent, et relationibus absque Notario, & testibus deferendum sit; Sive an desideratur Notario tantum, sine ipsorum subscriptione cum similibus; Atque neglecta opinionum varietate locorum, vel Tribunalium stylis deferendum venit. Gabr. de citat. concl. 4. Menor. de Arbitr. casu 112. Buratt. & add. decif. 324. dec. 241. par. 10. rec.

Per ipsum autem Judicem ore proprio citatio fieri potest, atque in causis ecclesiasticis etiam per privatos, quinque per religiosos, ubi de illius veritate constet, eodem loco ubi supra.

In Ecclesia, vel in alio loco exempto, sive extra territorium, dummodo in proprio territorio, vel in loco sua jurisdictionis decreta sit, verius est, ut citatio verbalis fieri possit, illaque afficiat, cum prohibito citationem realem percutiat. tit. de jurisdict. dist. 70.

Atque ubi nullam diem, vel tempus contineat, aliquorum opinio est, ut intelligatur de prima die; 48 Aliorum vero, ut de termino congruo, Et aliorum, ut tanquam vaga, invalida sit, atque nullatenus sufficiat; Ideoque locorum, vel Tribunalium stylis deferendum videatur, habetur supranum. 7.

Cumque finis citationis sit pars citandi scientia, & evocatio, idcirco eiusdem partis comparatio, seu alias agniti citationis exequitio, omnem supplet defectum, Gregor. & add. decif. 27. Buratt. & add. decif. 727. Sed sine legitima exequitione, sola ejus decretae scientia, vel illegitima exequitio non sufficit nisi latitatio, vel affectatum impedimentum accedit ut supra.

Negativa vero citationis probatur ex revolutione processus & actorum, in quibus ea contineri debet, ideoque desideratur actorum integratas, ut 47 alibi adveretur, infra in discut. super transportatione actorum.

Circumduci quoque citatio solet, ac evanescere, quando intra certum terminum non reproducatur, 48 In hoc autem regula certa statuenda non videtur, quoniam locorum ac Tribunalium stylis, qui variis fuit, deferendum est. Franch. & add. decif. 232.

Citationis autem defectum à tertio allegari non possit, est regula, nisi superioris allegata ratio connectionis vitiet totum processum etiam respectu citatorum, ob omnissam citationem aliorum, Gregor. & add. decif. 137. Buratt. decif. 371. in fin. dicto dist. 70. de jurisdict.

Si citatio nullam contineat diem, quod substinetur pro prima si in ea detur possibilis comparandi, quandoque firmatum fuit, Seraphin. decif. 857. Cavaler. decif. 376. Manit. decif. 8.

Nisi agatur de citatione ad sententiam, que debet

DISCURSUS X.

33

debet continere diem certam, in qua sententia proferri debet, adē ut lata post terminum invalida sit; Nisi contumacia citati, vel stylus alter suadeat, ut in sententia, ac nullitatis sedibus advertitur, infra in discursu particulari de sententia, & in altero de nullitate.

Dic feriata citatio fieri, seu exequi juxta unam sententiam, non potest, licet non defint contrarium tenentes, ideoque locorum stylis & praxi deferendum est. Sed si citatus die feriata compareat, nullitatem allegare non potest, ex eadem superioris assignata ratione, quod omnis citationis defectus per comparitionem sanatur, *Vestr. & add.lib. 4. cap. 3.* Rot. pragm. 1. de citat. Rot. in Auximana fideicommissi 24. Martii 1662. coram Albergato.

Peremptorium de jure necessarium videtur, ut citatio contineat; In Curia vero de stylo non requiritur, Multo vero magis in causis beneficialibus, & summaris, in quibus etiam de iure id non est necessarium. *Vestr. & add.lib. 4. cap. 2. num. 7. & 12. cum seqq.*

Ad totam causam, an unica citatio fieri possit, ac sufficiat de jure, est sub questione, sed in Curia de stylo sufficit, ac subsistetur, *Vestr. & add.lib. 4. cap. 4. Rot. decis. 291. par. 10. rec. & infra dse. seq.*

Per simplicem comparitionem, ac jurium exhibitionem non circuinducitur citatio, nisi iura per judicem admissa sint, *Affl. decis. 115. Buratt. & add. decis. 727. Royas decis. 4. 2.*

Lapsus vero termini, circumductionem non producit in Rota, in qua licita est reproductio infra annum, sive ubi agatur de citatione generali ad totam causam, regulariter autem lapsus termini circumductionem producit, *decis. 7. par. 7. rec. Mellevitana hereditatis 26. Ianuarii 1637. coram Panziolo.*

Facta ex errore contra unum habitantem in eadem domo, in qua alter inhabet, substitetur, si constet ita citationem devenire ad notitiam ejus, qui citandus erat, cum iste sit finis citationis, *Rot. decis. 112. & 202. par. 10. rec.*

Si vero facta sit contra illum, qui duplice gerat personam, nulla expressa, ut afficiat eo modo quo afficerre debet secus autem si persona non exprimatur, *Othobed. decis. 103. & 237. decis. 40. par. 11. rec.*

De contumacia citati non comparentis;
Et de processu contumaciali, qui in Curia dicitur per contradictas.

S V M M A R I V M.

Citatus qui non compareat reputatur contumax, & contra eum proceditur ad ulteriora in causa.

- 2 De stylo Curia processus per contradictas.
- 3 Ad quid iste processus fiat.
- 4 De requisitus processus contumacialis, vel per contradictas.
- 5 An citati de tempore incongruo ob aeris insalubritatem teneantur comparare.
- 6 Citatio debet esse legitima, & presentim tempore non seriata.
- 7 Debet esse personalis, ut sit certa.
- 8 An ei sit locus mortuorum, vel se absentante procuratore iam deputato.
- 9 Quando etiam sine citatione personali id procedatur.
- 10 An practicetur contra universitates, & corpora ficta.

- 11 Quid si actor sciat, quod citatus habeat in Curia procuratorem si iste non compareat, & non exhibeat mandatum in actis.
- 12 Etiam si in Curia procedatur per contradictas, attamen in actibus non faciens in partibus, in quibus est principalis, sic debet citari.
- 13 Quando contumax audiatur, vel respectivè denegetur audiencia.
- 14 An, & quando contumacia debet accusari.
- 15 An, & quomodo admittatur ad appellandum.
- 16 In odiois habetur pro presente, ac etiam pro confessio, ut in determinis.
- 17 An possit multari, & quando.
- 18 De quo tempore accusetur contumacia,
- 19 Non efficitur contumax, qui non potest comparere.
- 20 Minusque ille qui non tenetur.

D I S C U R S U S X.

SEquita citationis legitima exequitione de mandato judicis competentis, ejusque legitima productione, in tempore pariter legitimo, aliisque concurrentibus, de quibus *dse. precedenti.* Si citatus statuto termino non compareat, adē ut incurrit contumaciam, tunc de juris rigore ad ultiorum processum in contumaciam procedi potest, absque necessitate replicandi alias citationes; Potissimum vero ubi prima citatio sit ad totam causam, juxta stylum hodi penè ubique vigentem, cum monitione ad deputandum legitimum procuratorem in loco reperibilem, & cum conminatione, quod alias ad ulteriora procedetur, usque ad judicium terminationem, & exequitionem, adē ut alias citationes, etiam per contradictas sunt ex urbanitate, atque ad superabundantiam.

Super hoc tamen contumaciali processu, diversa est regionum, seu Tribunalium praxis, adē ut certa regula generalis desuper statui non valeat, unde propterea me restringendo (ut decet) ad proximam Curiam Romanam, cum relatione in reliquis ad singularium aliarum Ditionum praticos; Quamvis, [ut dictum est] de rigore iutis, alia citatio contra contumaciam, cum praesupposito legitima contumacia, non requiratur; Adhuc tamen ex quadam urbanitate, in singulis actibus repetuntur citationes in ipsa Curia, in illa Audientia, quæ dicitur *Contradictriarum*, quæ habet particularem Auditorem cum ejus Notario, unde propterea vulgo dicitur, judicium, seu causa per contradictas, quod idem est ac in contumaciam, de his & aliis ad hanc matrem processus per contradictas Gregor. & adden. dec. 110. & 430. Burat. & add. decis. 943. decis. 104. par. 6. rec. in Civitatis plebis Cappellania 4. Decembris 1663. 5. Februarii 1664. & 9. Decembris 1665. etiam Taya & sepicius,

Licet enim, spectato effectu, quoad absentem, ac vero non comparentem, iste processus per contradictas quamdam ceremoniam, seu formalitatem importet, adhuc tamen idem absens, & contumax conqueri non potest, dum ita cum eo quædam qualis illa sit, adhibetur exuberans urbanitas, saltus in potentia, quæ potius proficia est quam damna, dum de juris rigore absque hujusmodi repetitione citationum & terminorum, ad ulteriora procedi potest, *ibidem ut supra.*

Hujus autem judicij, seu processus per contradictas, fundamentum, sive essentiale requisitum, est exequitio legitima; & personalis prima citationis generalis ad totam causam, per quam citatus sciat, ac certificetur, quod non comparendo, tanquam

con-